



10  
1.  
2  
3.  
4  
5.  
6  
1  
1  
2.



13068.

N<sup>o</sup> 24

~~30~~ 3.

Ἀκαδημικῆ Τέχνης.

DE

1694. 5. 14

# CIVE,

*ad Aristotel. 3. Polit. 1.*

adspirante Divina gratia,

*in inclyta Argentoratensium Academia,*

PRÆSIDE

DN. JOHANNES JOACHIMO  
ZENTGRAVIO, D.

Philos. Pract. P.P. Ordinario,

Collegii Philos. h. t. Decano,

*respondebit*

JOHANNES PHILIPPUS UNSELT,

Argentoratensis,

Die Mensis Decembr. A.O.R. M DC XCI.

\*)\*(

ARGENTORATI,

Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.



INCLUTÆ  
UNIVERSITATIS  
ARGENTORATENSIS  
AMPLISSIMO ORDINI  
DNN. PROFESSORUM  
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ:

VIRIS  
MAXIME REVERENDIS,  
NOBILISSIMIS ATQUE EXCEL-  
LENTISSIMIS,

Dnn. suis Mæcenatibus, Patronis,  
Fautoribus, studiorumque Aucto-  
ritatibus & Promotoribus, submis-  
so animi cultu ætatem devenerandis,

Ad

Animum non ingratum  
contestandum

*μὲ πάσης αἰδῆς*

EXERCITIUM hoc POLITICUM

dat, dedicat, offert,

ac studia sua porro

commendat

Joh. Philippus Unfelt,  
Respondens.



# DE CIVIS.

§. 1.



Uis civis, & genuini civis

verus quis character sit, sæpius quidem, sed nec sine sententiarum dissensu disquiritur, quem non tam disciplinæ difficultatem, quam doctrinam Aristotelicam perversè acceptam, & diversum vocis hujus usum non rectè applicatum, peperisse existimamus, cum res

ipsa scopulis his remotis plana nobis esse videatur. Docebimus hoc Colloquii Academici gratia. Faxit DEUS feliciter!

§. 2. Quæ ad usum vocis Civis pertinent præmittemus. Fecit id ipse Aristoteles, a) diligenter notans, qui cives nonnunquam dicantur, etsi ita proprie, vel plene tales non sint, cum se quærere dicat τὸ ἀπλῶς πολίτῳ, civem simpliciter: qui ex mente Philosophi, εἰδέναι τὸ ἀπλῶν δεῖξαι μάλλον, ἢ τῶν μετέχειν κείσεως καὶ ἀρχῆς, nulla re magis definitur, quam participatione judicij & magistratus. Nonnullis interjectis subjicit: Τίθεμεν δὲ πολίτας οὗ εἶτω μετέχοντες, statuimus autem esse cives ita participantes: diversimode licet, uti constat, hoc nomine exceptus, à solenni in primis disciplinæ suæ insultatore Johanne Bodino; b) vindicatus autem contra hunc à Piccarto. c)

a) 3. Polit. 1<sup>o</sup>

b) 1. de Rep. c. 6.

c) Com. in Arist. l. c. p. 339. sqq.

d) l. c.

§. 3. Notandum præterea, Aristotelem accurate distinguere d) inter Rempublicam & Civitatem; & de illa dicere, quod τὸ πλὴν πόλιν οἰκούντων τάξις τις, sit ordo quidam civitatem habitantium;

A hoc



hoc est ordo civium; cum ἡ πόλις πολιτῶν τι πλεῖθος ἐστίν, *civitas multitudo quaedam civium* fit, inordinata scilicet. quæ juris alicujus fruendi causa congregata est. Socii hujus multitudinis, qui ordine civili postmodum introducto rationem habent imperantium & parentium, dicuntur ab Aristotele *Cives*. Ita enim habet connexio. Nimirum postquam dixerat Philosophus: Ἡ γὰρ πόλις πολιτῶν τι πλεῖθος ἐστίν, *civitas est multitudo quaedam civium*, subjicit: Ὡσεὶ τίνα γῆν καλεῖν πολίτην, ἢ τίς ὁ πολίτης ἐστίν, *κατεπείθειον, quapropter quem oportet appellare civem, & quis civis est considerandum*. Spectat ergo *Cives*, ceu partes multitudinis cui ordo, quod alii sint imperantes & parentes, adhuc est introducendus; hoc est civitatis *materialiter*, ut loquuntur, consideratæ, & prout adhuc est in fieri, quæ ordine imperantium & parentium introducto, in rempublicam & perfectam civitatem transit. Id quod *Thomæ*, e) *Montecatino* f) in primis, *Gifanio* & aliis non observatum, certe ad usum convenientem, & in hac quæstione ad mentem Aristotelis explicandam necessarium, non satis applicatum videtur. Et sane hinc nascitur error, & datur difficultas, ex interpretum quanquam culpa, in applicanda disciplina Aristotelica de cive, quod quæ de cive, ut est socius multitudinis nondum ordinatæ, loquuntur, applicant ad civem, ut est pars seu membrum civitatis formatæ, quod fit invito Philosopho, & contra mentem illius. Eximie *Arniseus*, h) *civis*, inquit, *etsi plerumq; cum subdito confundatur, & in actu perfecto sub Republica accipiatur, tamen quantum est ex vi nominis, non habet innexam actualem subjectionem, sed definitur in ea conditione, quam natus est habere ante omnem superventuræ reipublicæ coarctationem*.

§. 4. Patet hinc, Aristotelem vocem *civis* ea accepisse latitudine, ut respexerit ad futuros & mansuros in Republica constituta *cives*, tam imperantes, quam parentes, quæ est genuina etiam & propria acceptio; cum *cives* hoc ordine in istorum multitudinem, quam civitatem Philosophus appellavit, introducto, & imperio se actu exerente, *cives* manere debeant. Prima enim & naturali acceptione *cives* in ordine ad civitatem dicuntur: Constat quippe *civitas* ex *civibus*. Unde

Lampa-

e) *Expla-*  
*nat. l. 3. Pol.*

c. 1.  
f) *Com-*  
*ment. in*  
*Arist. 3.*  
*Pol. 1.*

g) *Comm.*  
*in 3. Pol.*  
c. 1.

h) *Relect.*  
*Polit. P. I.*  
c. 5. *sect. 5.*  
n. 4.

Lampadius i) cives Imperii Germanici alios imperantes, Cæsarem  
 scil. & Status Imperii, alios obediētes esse docet. Strictius aliis  
 de cive loqui, & voce hac uti placuit, sic ut illos tantum hoc  
 nomine notent, qui in parendi conditione singulari quadam  
 obligatione & jure sunt constituti. Hobbes k) hinc civis & sub-  
 ditus creduntur æquipollere. Pressius adhuc alii vocem hanc  
 accipiunt de certo subditorum ordine, quibus certa jura à ci-  
 vitate sunt concessa, ut illis præ subditis ordinis inferioris, cæ-  
 terisque qui in parendi conditione constituti quidem, non ta-  
 men cives sunt, nec tales dicuntur, gaudeant: quæ admodum  
 vulgaris, legalis tamen & ad rempublicam jam constitutam  
 pertinaens vocis hujus est usurpatio, nec Aristotelica. Sic qui  
 olim erat subditus Romanus, non statim erat civis Romanus,  
 qui peculiaribus insuper gaudebat juribus, hoc ipso à civitate  
 Romana illi concessis, quod eum pro cive suo agnosceret.  
 Sic poterit, Becmanno l) observante, aliquis in urbe esse civis qui in pro-  
 vincia est subditus; & rursus qui in provincia est civis, in regno esse subdi-  
 tus. Sed ex legali constitutione talia sunt, quæ variat, & in præ-  
 senti præcipue à nobis non spectatur, qui non de eo præcipue  
 quærimus, quis civis ex constitutione civitatis alicujus, quæ  
 libera est, & inter suos subditos varios ordines constituere, illis-  
 que certa jura, quibus cæteri subditi, incolæ, parentes non gau-  
 deant, assignare potest. Conringius m) descriptionem civis Ari-  
 stotelicam, quæ uti ostensum, de civibus civitatis materialiter  
 seu imperfecte acceptæ, loquitur, applicat ad Rempublicam  
 Romano Germanicam, solisque Status & ordines Imperij, veros  
 & genuinos, propriosque cives esse pronunciat, quia potestatem habent  
 judicandi de iis, quæ ad τὸ κρείον, vel summam reipublica pertinent, re-  
 liquos autem incolas potius esse vel subditos. Sed & hoc legale est.  
 Nos ad mentem Arist. aliter insuper loquendum censemus de  
 Civibus, ut constituunt præcise multitudinem, quam concipi-  
 mus ut nondum ordine introducto formatam; aliter ut sunt  
 socii civitatis perfectæ, sive reipublicæ, quæ notante Grotio, n)  
 est cætus perfectus liberorum hominum, juris fruendi causa communi  
 imperio sociatus. In priori statu civium ratio una eademque  
 est, & eximie ab Aristotele explicatur; in posteriori vero variat,

i) de Rep.  
 Rom. Germ.  
 P. III. c. 2.  
 § 9. add.  
 Paur mei-  
 ster. de Ju-  
 risdic. Imp.  
 R. II. 1. 2.  
 k) de Civ.  
 c. 5. §. 11.

l) Med. Po-  
 lit. c. 19.  
 §. 10.

m) Exercit.  
 de Rep. Im-  
 per. Germ.  
 I. §. 5. & 6.

n) J. B. P.  
 I. 1. 14.



& prout vel Reipublicæ forma permittit, vel legibus civitatis definitur, ita jam plenius & perfectius, jam minus plene & perfecte datur; sic ut si civitates perfectas, hoc est Respublicas intuemur, civem ex illorum numero esse appareat, quæ secundum *magis & minus*, pro Reipublicæ alicujus legibus, quibus jura civium definiuntur, dici debent.

S. 5. Dupliciter nimirum hinc patet quæri posse, quis, & quid civis sit: vel secundum *statum naturalem*, vel secundum *legalem*. Ille dicitur, quo aliquid in sua prima ratione, quam ipsa natura rei per se amat, & sic quale naturaliter esse optat, atque secundum modum etiam generationis & originis suæ, omnimodamque rectitudinem, spectatur, si maxime illam actu dari non contingit: Hic vocatur illa rerum conditio, quæ ad istam perfectionem non semper ascendit, sed se habet, prout fert generis humani genius, & rerum humanarum multiplex

o) J. B. P.  
l. 3. 17.

imperfectio; quam Grotius o) intuens, *in civilibus*, inquit, *nihil est, quod omni ex parte incommodis careat; & jus non ex eo quod optimum huic aut illi videtur, sed ex voluntate ejus unde jus oritur metiendum est.*

p) 1. offic. 17.  
q) 1. Pol. 1.  
199.

Aristoteles de Cive egit secundum statum naturalem atque primum. Civitatem enim considerat secundum primam & naturalem originem atque consecutionem, quam habet à societate nuptiali, quæ *principium urbis est, & quasi seminarium Reip.*

r) 3. Pol. 1.

ut Cicero p) loquitur, ceu constat. q) Considerando autem eundem secundum statum legalem, sive aberrantem, uti diversæ dantur rerum publicarum species, corruptæ etiam atque vitiosæ; *καὶ τὸ πολίτευμα ἔπερον ἀναγκαῖον εἶναι τὸ καθ' ἑκάστου πολιτείας, & civem necessario diversum esse, qui in singulis rebus publicis existit,* ipse etiam concludit. r) In hac vero civium diversitate, indolem civis, qualem Status naturalis originis & perfectionis esse amat, tam prope nullus accedit, quam qui in populari republica datur. Factum itaque hinc est, ut Aristoteles definiturus cives secundum statum naturalem, & in abstractione à republica & ejus formis, dederit ejus talem descriptionem, quæ, forma civitatis ita ferente, optime omnium quadrat in civem Democraticum, expresse hanc corrigendam esse monens, si ad rerum publicarum variarum cives, legales scil. eam appli-





applicare velimus. Sic enim Philosophus: *Αλλ' ἔχει γὰρ, inquit, διορθωσιν ὁ ἔ πολιτῆ διορισμός, veruntamen sustinet correctionem definitio civis, ut scil. bene explanante Thoma, s) fiat communis; quod & Montecatino t) monitum. Putat equidem Gifanius, u) nullam posse communem omnium civium definitionem inveniri: sed qui talis fieri possit, ostenderunt Feldenus, x) & Dn. Gebhard. Theodor. Mejerus, y) deditque talem B. noster Bæclerus. z)*

s) Explan. l.3. Pol. Arist. 1. f.33.  
t) Commen. in 3. Pol. 1. f.14. & 16.

§. 6. Videbimus ergo I. ad mentem Aristotelis, quid Civis sit, ut est socius civitatis materialis, & secundum statum naturalem. II. quid idem, ut est socius civitatis formatæ, sive Reipublicæ, secundum statum legalem & aberrantem; & quæ ejusdem in utroque statu jura. Quid Aristotel. civis sit, & quo sensu illi spectatus definiatur, dictum jam est. Nimirum uti civitas considerari potest, vel ut est multitudo aliqua ordine certo parendi & imperandi adhuc destituta, vel ut tali ordine est formata; ita cum cives sint partes illius multitudinis, & civitatis materialis, primus quoque & naturalis ille erit civium status, si considerantur ut socii istius multitudinis, & uti loquitur Meierus, a) ad imperium & subjectionem se in-

u) Com- ment. c.1. p.279.  
x) Analys. libb. Pol. Arist. 3.1. p.158.  
y) Analys. Polit. Arist. 3.1. c. 20. p.197.  
z) Inst. Pol. 1. 6. p.70.

differentes habent. Hoc sensu semper verum est, quod, ut talis civitas est *πολιτῶν π πλῆθος*, multitudo quædam civium, ita civis hoc modo spectatus nulla re magis definiatur, b) *ἢ τῶ μετέχειν κείσεως ἢ ἀρχῆς, quam participatione judicij & magistratus, hoc est, seipso explicante Philosopho, ἐξουσία κρινωνέν ἀρχῆς βαλδλικῆς, ἢ κελικῆς, potestate cum aliis gerendi magistratum deliberativum & judicativum. De jure enim tantum, non item de actuali munere magistratuum proprie dictorum hoc intelligi debere, res ipsa docet, cum loquatur Aristoteles de cive, qua est socius civitatis ordine parendi & imperandi, & sic magistratuum proprie talium constitutione nondum ordinatæ. Et ἀρχὴ βαλδλικὴ καὶ κελικὴ, magistratus ille deliberativus & judicativus, aliud nil dicit quam ἐξουσίαν, jus suffragiorum in consiliis & judiciis publicis. Vocabulum κείσεως enim, notante Montecatino, c) hic à Philosopho, ut ex fine instituti ejusdem apparet, tam late accipitur, ut latio-*

a) Analys. Polit. Arist. l. c. 5. 13. p.192.  
b) Arist. 3. Pol. 1. 1. p.70.  
c) Com- ment. l. c. f.10.

nes suffragiorum, deliberatorumq; sententias etiam complectatur. Jus itaque seu potestas *ἀρχῆς κελικῆς καὶ βαλδλικῆς, magistratus judicandi*

judicandi & deliberandi de rebus ad salutem totius civitatis pertinentibus, aliud nihil erit, quam jus suffragiorum, votum ut vulgo loquimur, consultativum & decisivum. Hoc enim est *ἔρχομαι*, venire in partes magistratus, minus proprie hac voce accepta, deliberativi & judicativi, habere facultatem in comitiis ejusmodi civitatis materialis universalibus deliberandi, judicandi & decidendi.

§. 7. Duplicem hunc civitatem & civem considerandi modum manifeste deprehendimus in Theocratia & Republica Ebræorum, ut proin is non meræ rationis practicæ actus sit. Nam cum exirent ex Ægypto, exissentque, fuerunt equidem sub DEO, tanquam Rectore universi, & subjectione naturali, quæ ad regnum potentia pertinet, atque sub Mose, verum non tanquam sub imperante & Principe, sed tanquam Duce potius.

d) Exod. 15.  
26.

Nam quæ paulo post condidit statuta, d) tentandæ hujus multitudinis magis, an in hac libertate naturali constituta, imperii civilis coactionem esset admittitura, quam cogendæ gratia proposuit; imo indigesti hujus cœtus magis in pace & tranquillitate adhuc conservandi, quam ad formam certæ reipublicæ ordinandi causa: Quemadmodum & ista judicum ordi-

e) Exod. 18.  
15.

natio ex Jethronis consilio facta, e) ab initio provisionalis potius fuisse, ex autoritate quam in hoc populo Moses habuit, quam ex vero imperio civili facta rectius creditur. Ipsos autem Ebræos, atque patres familias quod attinet, hæc civis Aristotelica descriptio in illos optime quadrat. De quolibet enim patrefamilias, qui verum hujus multitudinis membrum erat, tum dici potuit, quod fuerit *μετέχων κείσεως καὶ ἀρχῆς*, particeps judicij, de statu publico formando, & communi omnium salute, atq; magistratum.

f) Exod. 15.  
26.

Non solum enim ipse Moses cum populo egit, & invito nil obtrusit, f) ante rempublicam etiam introductam suadendo magis, quam cogendo illos tractavit; sed ipse DEUS etiam *συγκατάθεσις* plane singulari cum de forma reipublicæ ordinanda & Theocratia constituenda ageretur, eos hoc suffragiorum jus exercere voluit, quod

g) Exod. 19.  
3. 99.

etiam fecerunt. g)



§. 8. Competere autem omni civi in statu naturali, & ante constitutam rempublicam, facultatem hanc per se, ceu proprium jus, manifestum est *primo* ex naturali illorum, qui certi alicujus juris fruendi, & unius cœtus civilis constituendi causa convenerunt, æqualitate. Illi enim patresfamilias, quorum pactis primo civitas coaluit, pares fuerunt, sic ut uni in alterum nihil, vel præ altero plus juris non competeret; sive genere humano multiplicato, ab eodem genitore descendentes familias in cœtum quendam civilem coivisse ponas, retinentem nomen patrium, ac si una adhuc foret familia, Israëlitarum, Edomæorum exemplo, cujus rationem exposuit *Fleury*; h) sive aliunde ad civitatem condendam confluisse statuas, uti Romam à tali initio crevisse ex *Livio* i) constat. Si quæ statim dabatur inæqualitas, facta humano, & juris sui cessione à novis sociis facta talis oriebatur. *Æquales* itaque uti sunt illi patresfamilias, qui cœtus civilis constituendi causa conveniunt, ita omnes pari quoque jure gaudent deliberandi & judicandi de illis, quæ unumquemque tangunt, quæ ad commune bonum, cujus uniuscujusque felicitas pars quædam est, eleganter explicante *Ricardo Cumberlando*, k) pertinent. Par quoque omnium jus est ad percipienda commoda, ad gerendos honores, uti vicissim æquali omnes tenentur obligatione ad ferenda onera. De *Theseo* *Plutarchus* l) autor est, quod *Atticæ* cultores in unam urbem coacturus, uniusq; urbis unum redidurus populum, qui tunc erant divulsi, & agrè ad agendum in communi de republica conciri poterant, non solum statum popularem illis promiserit, & in omnibus, paucis exceptis, *ἰσομοιρίαν*, æqualitatem; sed &, quo magis civitatem amplificaret, invitaverit omnes pari proposito jure. *Ἐκάλες*, inquit *Plutarchus*, πάντας ὑπὲρ τοῖς ἴσους. Existimavit nimirum *Theseus*, facilius institutum suum condendi civitatem successurum esse, quo propius ad statum naturalem accederet.

h) *Mœurs des Israël.*  
c. 5. p. 18. sq.  
i) *L. I.*

k) *de LL. Natur. c. 5.*  
§. 23. p. 230.

l) *r. I. Opp. Thes. f. 10.*  
sq.

§. 9. Deinde ista confluens multitudo duplici pacto, ut in civitatem coalescat, uniri debet; quorum primum est, quo singuli cum singulis paciscuntur, quod velint cohabitare pacifice, & communi consilio, & sic animorum viriumque

B

con-



conjunctione communem salutem & securitatem quærere. Quando vero ita cœtus coaluit, *necessum est*, inquit Pufendor-

m) *J.N.G. f. 7.2.7.* *ius, m) ulterius, ut decretum fiat, qualis forma regiminis sit introducenda.* Et sic datur civitas materialis, quam reipublicæ Ari-

stoteles contradistinxit, cujus ita reip. contradistinctæ, & ab illa abstractæ, cives consideravit. Ut vero multitudo hæc in-

n) *serm. 44. f. 309.* *recti custodes esse, ex monito Eusebii apud Stobæum; n) hi vero, quod velint obedire, quod μέγιστον ἀγαθόν είναι καὶ ἐν πόλει, καὶ ἐν στρατιᾷ, καὶ ἐν οἴκῳ, maximum bonum esse & in urbe, & apud exercitum*

o) *Opp. de Lacedam. Rep. f. 683.* *& in familia, Xenophon monet. o) Manifestum autem est, ad pacta hæc ineunda, & qua ratione iniri debeant, pure ne, an conditionate, & quæ illis comprehendenda sint, vel non sint, ab imperio item excipienda atque reservanda, omnium & singulorum consensum esse necessarium, atque proin jus suffragiorum omnibus competere, cum singulorum jura, libertatem atque futuram felicitatem ista concernant, de quibus ex naturali libertate unicuique disponendi ex proprio arbitrio jus competit. Unde si quis in ista pacta consentire non vult, cum reliquis in idem corpus civile non coalescit, sed manet extra societatem, degat licet in tali cœtu.*

§. 10. Tali modo paciscendi coaluit respublica Ebræorum sub DEO rege. Prioris tacite licet initi effectus fuit, quod Ebræi ex Ægypto egressi, non dilapsi sint, sed in multitudine ista, in quam ab exiguis initiis naturali consecutione exereverant, permanserint. Posterioris pacti, quod cum DEO multitudo hæc iniit, cui loco Principis hominis suæ securitatis & felicitatis curam commiserat, eumque non uni-

p) *Exod. 19. 3. 8.* *versale tantum & naturale, sed civile etiam imperium in se retinere voluerat, mentio fit apud Mosén, p) explicaturque Spencero. q) In illud omnes consenserunt. Et responderunt, inquit Moses,*

*ocr. c. 2. § 3.*



Moses, *ὅτι ἅς* omnis populus pariter, & dixerunt: Omne quod locutus est Dominus, faciemus. Theseus etiam dispersos Atticos in unum corpus civile coacturus, primo, *Plutarcho* scriptore, illos *ἑπὶ τῶν ἑσπερίων* *Thes. f. 10.* ἀνέπειθε καὶ Ἀθήνας καὶ γῆν, adiit, proposuitque eam rem singulis populis & familiis. Secutum est decretum de forma regiminis, quando promisit fore ἀναβίβαστον πολιτείαν καὶ δημοκρασίαν, ἀπὸ μόνου ἀρχόντι πόλεμος καὶ νόμων φύλακι χρησομένην, τῷ δ' ἄλλων παρέξασιν ἀπασιν ἰσομοίαν, rempublicam regno liberam, in qua omnis penes populum esset futura potestas, ipse vero moderator tantum belli, & legum foret custos, cetera paria omnibus: In quod cuncti, alii licet alia ex ratione consenserunt. Illustrat dicta etiam historia Romæ conditæ apud *Dionysium Halicarnass.* s) Primo enim Romulus & Remus & qui in unam coloniam confluxerant, inter se civitatis condendæ causa convenerunt. Reipublicæ autem ordinandæ, jus item magistratuum constituendorum, atque suffragiorum hos habuisse cives, docet oratio à Romulo ad populum de constituenda Reip. forma habita. *Fussit enim eos reper otium considerata, respondere, utrum uni an paucis parere mallent. Equidem, inquit, quamcunq; reipublicæ formam constitueritis ad eam recipiendam paratus sum. Scribit etiam Dionysius, cives istos seorsum inter se communicato consilio respondisse, se in forma à majoribus accepta, regia scil. acquieturos, delato Romulo regno. Et hic modus originis civitatum est maxime naturalis, & ad eum in primis in opere Politico respexisse, atque in respectu ad eundem Civem suum descripsisse Aristoteles videtur. Violentiores si quæ civitates expertæ sunt origines, referri id debet ad statum rerum humanarum à naturali aberrantem.*

s) *Antiq. Rom. l. 3.*

§. II. Patet vero ex his, quo sensu, & quam bene etiam Aristoteles civem definiverit; existente sc. & durante civitate sub primi pacti, quo eandem coalescere diximus, obligatione. Ex quo vero idem per pactum in Rempublicam, civitatemque perfectam transit, & transit, ita ut relicto statu civis naturali atque primo, vivat in statu legali atque aberrante, varie ejus rationem mutari contingit, ita ut ad primum statum, & ad plenam veri civis rationem, atque ideam, jam plus, jam minus accedat, vel ab eadem recedat, prout nimirum forma



reipublicæ, & ratio ordinis, vigore cuius alii imperantes, alii parentes sunt id patitur, & pacto civium hoc nomine inito, quod legis Fundamentalis rationem habet, id continetur, quæ & qualia civium jura propria esse debeant, quibus illi non gaudeant, qui in civium ordinem non sunt recepti. Monet

t) l. c.

hinc B. Bœclerus, t) neq; hoc neq; illud genus juris, quod civem facit, atque variat, cogitari aut intelligi posse, citra respectum legis, quæ civita-

u) 3. Polit. 1.

tem describit atq; continet. Agnoscit hoc Aristoteles, ἐστὶ γὰρ τις, in-  
quiens, ἐν δημοκρατίᾳ πολίτης ὢν, ἐν ὀλιγαρχίᾳ ποιμένας οὐκ ἐστὶ πα-  
λίτης, est quidam, qui cum in statu multitudinis civis sit, in dominatu  
paucorum saepe non est civis: quia scil. lex civitatis, quæ civium  
jura describit, eaque illis solis assignat, quos huic peculiarem  
& singularem in Republica ordinem vult constituere, repu-

x) de Lace-  
dam. Rep.  
f. 682.

gnat. Ita Xenophonte x) scriptore, ἐν μὲν Ἀθήνῃσιν ἅπασιν πόλεσι  
πάντες χρηματίζονται ὅσον θύρω. Οἱ μὲν γὰρ γεωργεῖ, ὁ δὲ ναυκληρεῖ  
ὁ δὲ ἐμπορεύεται, οἱ ἤ καὶ ἀπὸ τεχνῶν τρέφονται. ἐν ἧ τῇ Σπάρτῃ δὲ  
Λυκῆργος τοῖς μὲν ἐλευθεροῖς ἔμψυχοις ἀμφοὶ χρηματισμὸν ἀπέειπε μη-  
δενὸς ἀπέδοται, in aliis quidem urbibus omnes quocunq; modo possunt, rem

y) de Rep.  
Athen. opp.  
f. 691. sq.

faciunt; quod de Atheniensi idem Xenophon, y) de Cretensi au-  
tem Polybius z) testatur; hic agrum colit, ille navicularia deditus  
est; hic mercatura, ille opificio exercendo se alit. Sparta verò, cujus

z) l. 6. c. 44.  
a) l. 4. c. 81.

πολιτείαν καλλίστην, pulcherrimam vocavit Polybius, a) Lycurgus inge-  
nuis, quominus ea quibus rem facere possint attingant, interdixit, quos  
voluit ut crederent ea ad se pertinere, quæ ad libertatem civi-  
tatibus parandam faciunt. Cives ergo esse qui tales artes

b) Plu-  
zarch. 1. 2.  
opp. Instit.  
Lason. f.  
239.

exercent, & civium numero haberi, lege lata b) Lycurgus  
prohibuit; Hippodamo Milesio c) apud Stobæum d) tertium ordi-  
nem civium, τὰς πολιτικὰς κεραιωνίας, constituyente οὐκ ἔβαλλε, sicut  
mechanicos, cæterosque qui ex labore victum & amictum quæ-  
runt, opifices v. c. agricolas &c. cum apud Spartanos ex Ly-  
curgi instituto apud Plutarchum, e) Heilotes terram colerent, ἔ-  
δοσαν ποσὸν τῆν ἀνωθεν ἐσχυρίων, redditus antiquitus constitutos pende-  
rent. Romæ quoque alia ratio civium fuit, Regibus & Pa-  
triciis dominantibus; alia postquam status popularis præva-  
luit: Quo qui optima ratione cives fuerunt, domicilium, tribum  
& honorum potestatem adepti sunt, erudite explicante Carolo Sigo-  
nio;

c) de Rep.  
d) Serm.  
41. f. 248.  
e) l. c.

nio; f) cum sub Romulo plebeji ex lege à rege lata, ad sacra  
 curanda, magistratus gerendos, jus dicendum, rempublicam  
 administrandam, & urbana munita obeunda, non admitteren-  
 tur, quos *agros colere, pecus alere & artes quaestuosas exercere* jussit,  
 scriptore *Dionysio Halicarnass.* g) Etsi cum post sancitum inter  
 Romanos & Sabinos foedus, circa reipublicae formam nonnul-  
 la novarentur, atque Patriciorum numerus duplicaretur, cen-  
 tum viros curiarum suffragiis creatos, idem autor memoret. Non  
 minus variante republica simul jura, & ratio civium conse-  
 quenter variarunt apud Athenienses. Sub priori enim De-  
 mocratiâ, quod & *Meursius* h) notat, qualis à Theseo, & Solo-  
 ne postmodum ordinata fuit, agricolæ & opifices jus magistra-  
 tuum gerendorum non habuerunt, quod à Theseo Patriciis,  
 quos *ἑπατείδας* *Plutarchus* i) appellat, fuit permittum: & Solo-  
 nem etiam fecisse idem testatur, k) licet jus suffragiorum in  
 concionibus & judiciis, pauperibus & opificibus concesserit. Οἷς,  
 inquit *Plutarch.* l) *ἔδεμίαν ἀρχὴν ἔδωκεν ἀρχὴν, ἀλλὰ τῷ σωκεκλι-*  
*σάξει, ἢ δικάζειν, μόνον μετέειχον τῆ πολιτείας,* his nullum magistratum  
 permisit, ceterum hactenus in societatem veniebant hi reipublicae, ut suf-  
 fragium in concione & calculum haberent in judiciis. Sub posteriori  
 vero ejusdem forma, ampliora hujus sortis civium jura fue-  
 runt. Post Plataeense enim praelium cum reversos in urbem  
 Athenienses τὴν δημοκρατίαν quærere animadvertit Aristides,  
*ἀμα μὲν ἄξιον ἠγέμεθα καὶ τὴν ἀνδραγαθίαν ἑπιμελείας τῆ δῆμον,*  
*ἀμα δὲ σὺ ἐπὶ ῥάδιον, ἰσχυρόν τε τοῖς ὅπλοις, καὶ μέγα φρονέοντα τῆς*  
*νίκης, ἐκδιδάσκοντα, γράφει ψήφισμα, κενὴν εἶναι τὴν πολιτείαν, ἢ*  
*σὺ ἀρχοντας ἐξ Ἀθωαίων πάντων αἰρεῖσθαι,* existimans tum dignum  
 virtutis causa populum, ut ejus ratio haberetur, tum non esse proclive  
 pollenti armis, atq; ob victorias animos sustollenti vim adferre, rogatio-  
 nem tulit, ut respublica omnibus proposita esset, & archontes ex universo  
 populo crearentur, auctore *Plutarcho.* m) Sequitur hinc, quod si  
 de cive & juribus, ex quibus Reipublicae alicujus civis descri-  
 bendus, quæ variare vidimus, loqui velimus, omnis de cive,  
 quando hoc spectatur modo, oratio, ceu *Sigonius* n) etiam mo-  
 net, ad reipublicae quaestionem referenda, tum vero reipublicae ejus, cujus  
 potissimum civem quaerimus, nobis ante sit ratio cognoscenda; cum ra-

f) de anti-  
 quo jure  
 Civ. Rom.  
 l. 1. c. 1. f. 4.

g) l. 2. An-  
 tiq.

h) *Fortun.*  
*Attic. c. 4.*  
*p. 25.*

i) *Thes. f. 11.*

k) *Solon.*  
*f. 87. sq.*

l) l. c. f. 88.

m) *Aristid.*  
*f. 332.*

n) de antiq.  
 Jur. C. R.  
 c. 1.



tio imperandi & parendi non in omnibus rebus publicis eadem, & alibi civium major, alibi minor datur libertas, nec ubique iisdem gaudent juribus, id quod in republica lege & pacto definitur.

§. 12. Cæterum cum cives ante rempublicam in suam civitatem materialem introductam ad imperium & subjectionem, seu quinam imperantes, qui parentes esse debeant, se indifferenter habeant, post factum de forma reipublicæ decretum, quando ex statu multitudinis inordinatæ in cœtum ordinatum seu rempublicam transeunt, statum equidem & conditionem quem habuerunt, dum omnes erant æquales, mutant, dum alii imperantes alii parentes redduntur, manent tamen cives, nec prioribus juribus, quæ in statu civitatis inordinato sub primo pacto habuerunt, penitus & quoad ipsum habitum excidunt, licet forma reipublicæ, & ratio ordinis quem subierunt, illorum exercitium minime permittat, sed impediatur. Sicut enim ordinata civitas per Rempublicam vera civitas adhuc est atque manet, ita qui cives antea fuerunt, tales quoque manent, nisi omnibus civium juribus penitus priventur, & in infimi ordinis subditorum numerum redigantur, quod per transitum ex statu civitatis materialis sub primo pacto in statum sub pacto secundo, seu Rempublicam, ordinariæ non fit. Unde cum talis civitas ordinata constat ex imperantibus & parentibus, sequitur cives ex civitate non ordinata, in qua omnes erant æquales, in illam, ceu partes transeuntes, alios fieri imperantes, alios parentes; etsi qui ex illis tales esse, & qua ratione fieri debeant, pacto partim fiat, partim lege ordinetur. Cum ergo membra civitatis in utroque statu, & sub utroque pacto eadem manent, illam etiam omnium *Civis* acceptionum maxime propriam & genuinam esse patet, qua non tantum de subditis, secundum *Hobbesii* o) disciplinam, cui *civis* & *subditus* æquipollere censentur; nec, quæ aliorum est sententia, de certo tantum subditorum ordine, qui certis juribus gaudent, quibus præ reliquis subditis, quibus illa concessa non sunt, eminent; multo minus, secundum mentem Aristotelis, uti fingitur, perverse autem intellectam, de imperantibus

o) de civ.  
s. 11.

bus



bus tantum accipitur, uti Burgoldensis p) apud Pufendorf. q) *Discurs. ad instrum. Pac.* civitatem ait denotare societatem quandam, cujus partes essentielles id est imperantes sunt cives, notatus hoc nomine à Pufendorffio; r) sed tam de imperantibus quam parentibus intelligitur, qui cum sub statu primi pacti civitatis, quem ita distinctioris disciplinæ ergo ad genuinam Aristotelis mentem concipimus, æquales fuerant, sub secundo pacto imperantium & parentium conditionem libero mutuoque consensu subierunt, inæquales facti salvo ipso civitatis quo gaudebant jure. Finge enim in regno absoluto familiam regnatricem penitus extingui, forma monarchica intereunte, status primi pacti reviviscit, habentque cives rursus exercitium juris suffragiorum, quod per formam monarchicam se exerere non potuerat; nisi conventio in talem casum facta aliter disponat. Præmaturo sane pruritu plures hoc nomine olim in Gallia actos, turbarum civilium tempore, cum Henricus III. diem obiisset supremum, quasi familia regnatricis plane defecisset, legitimus licet successor existeret, haud obscure innuit Thuanus: s) *Post mortem, inquit, Henrici III. varie animi omnium, qui in castris erant affecti sunt. Major & sanior pars sic existimabat, nullam publicæ salutis spem superesse, nisi servato legitima successionis ordine, à quo si discederetur, quot provincie, urbes, locorum præfectura in florentissimo regno numerantur, tot reges, h. e. terribilissimos in eo exoriturus tyrannos.* Civibus autem morte, vel alio casu deficientibus, ne res publica intereat, in deficientium locum succedunt, qui vel ex civibus nati parentum jus civitatis consequuntur, vel illud alia obtinent ratione, & in hunc ordinem, quem soli cives constituunt, assumuntur.

p) *Discurs. ad instrum. Pac.*  
 q) *de Re-publ. irregular. §. 13. in Dissp. select. p. 328.*  
 r) *l. c.*  
 s) *Hist. l. 97. f. 6.*

§. 13. Nec de rebus publicis humanis tantum hoc verum est, sed & in ipsa Ebræorum Theocratia hoc suo modo contigit. Quid enim obstat, quo minus dicamus, ipsum Deum loco Principis hominis, qualis post Judicum tempora in gente hac dabatur, civilis Principis atque Regis munus in se suscipientem, & cum universo populo veram & perfectam civitatem, seu rempublicam constituentem, monarchiam scilicet, civilem quanquam, divinam tamen, civem quoque, primum licet, hoc est regem fieri voluisse, sub quo imperio subalterno in-

structi



structi Principes fuerunt Moses, Josua atque Judices. Data enim Theocratia, dato etiam, quod vera hæc fuerit civitas, & perfecta civilis consociatio sub Deo Rege, quod negari non potest, salvis divinis Actis per Mosen, DEI in hoc negotio ministrum, consignatis, dandum quoque est, in hac etiam Republica cives alios fuisse imperantes, inter quos ex συγκαταβάσει plane singulari, qua etiam pars paciscens esse voluit, cum de Republica hac formanda ageretur, primus DEUS fuit, alios parentes.

§. 14. Etsi vero, ut dictum, cives esse non desinant, qui sub primo civitatis pacto tales fuerunt, per hoc præcise, quod in rempublicam transeunt; attamen non solum magna civium quoad statum legalem, vel aberrantem hinc datur diversitas, prout variant respublicæ, sed & prævio pacto lege publica, qua forma reipublicæ continetur, civibus tam imperantibus quam parentibus sua jura, quibus ideo quia cives sunt gaudent, definiuntur; ita ut si certæ alicujus civitatis sive reipublicæ cives sunt describendi, ab istis juribus, quæ ex ejusdem lege civem, ne inferioris cujusdam ordinis membrum sit, faci-

t) de Vener.  
Rep. l. 1.  
p. 25.

unt, ista descriptio peti debeat. Recte quippe Contarenus, t) civitas, inquit, *civium societas est: nec tamen omnes hi homines, quibus indiget civitas, aut qui intramœnia urbis habitant, sunt habendi pro civibus, neq; jure in civium numero sunt collocandi.* Similiter nec omnis, qui inter Ebræos habitavit, pro cive Ebræo haberi olim debuit. Constat enim non solum inter eos sedes etiam suas habuisse Gentiles, qui *Profelyti domicilij* dicebantur: Finguntque

u) de J. N.  
G. l. 2. c. 3.  
p. 153. p. 151.

Judæi apud Seldenum, u) divino jussu per Mosen tradito quemlibet mortalium apud majores olim degentem, *ad septem præcepta Noachica servanda*, fuisse adstringendum: Sed etiam apud

x) Levit.  
25. 44. sq.  
Deut. 14.  
21. Exod.  
22. 20. Levit.  
19. 33.  
Deut. 29. 11.  
y) Rit. Civil. & Eccl. ver.  
Ebr. l. 1. c. 3.  
p. 16.

Mosen x) mentio fit servorum vel ex Gentilibus emtorum, vel jure belli in hanc conditionem redactorum, advenarum & inhabitantium, *peregrinorum intra portas*, quos cives non fuisse certum est; etsi quod profelytum intra portas attinet, talem etiam nonnunquam profelytum justitiæ, qui jus civitatis apud Ebræos consequeretur, fuisse non ignoremus: Thomas Goodwin y) licet profelytum portæ pro incola tantum, hoc est profelyto

felyto domiciliū tantum habeat, cui hinc *ἰσὴν* dicitur. Exi-  
 mius de his Profelytis domiciliū extat locus apud *Josephum*: z) z) 2. contr  
*Τὸς ἐκ παρέρους θεοσιόνας ἀναμνησθῆναι τῆς σωτηρίας ἧς ἠθέλησεν.* *Apion.*  
*τὶ ἀλλὰ ἢ θεύρηκεν, ὧν ἐστὶν ἡ μεταδοσις ἀναγκαῖα, πᾶσι παρέχειν*  
*τοῖς δεομένοις, πῦρ, ὕδωρ, τροφήν, ὅδους φερέειν, ἀταφον μὴ θεωρεῖν,*  
*eos qui obiter adveniunt, misceri solennitatibus noluit, alia tamen exhi-*  
*benda constituit Moses. Idem omnibus praeendum, ignem, aquam,*  
*cibum: iter ostendere, non spernere aliquem insepultum. Quod si*  
*vero per circumcisionem quis justitiæ Profelytus factus, in*  
*foedus quod cum Israëlitis DEUS inierat, recipiebatur, hoc*  
*ipso etiam secundum DEI Regis legem jus civitatis atque in-*  
*indigenatus consequabatur, atque si hodierni seculi voce uti in*  
*hoc negotio civili licet, naturalisabatur. Sic enim DEUS*  
*sanxerat: a) Et cum peregrinatus fuerit tecum peregrinus, & fecerit* a) *Exod. 12.*  
*Pesach Domino, circumcidetur ei omnis masculus, & tunc accedet ad* 48. *Num.*  
*faciendum illud, & erit sicut indigena terra. Rursus: Lex una* 15. 15. *sq.*  
*erit indigenae, & peregrino peregrinanti in medio vestri. Unde non*  
*solum insequentibus temporibus Judæi nominati sunt, ceu ex*  
*sacra Estheris historia Seldenus b) observat; sed & participes* b) *l. c. l. 2.*  
*fuerunt juris Israëlitici, quoad ea quae ad vitæ rationem in officiis,* c. 4.  
*juxta Mosaica praescripta, tum erga DEUM optimum maximum pra-*  
*standis, instituendam pertinebant, c) ceu idem monet, d) licet* c) *Deut. 31.*  
*regulariter pari per omnia cum originariis Ebræis jure non* 12. *Jos. 8. 33.*  
*videantur fuisse. Josepho e) indigenatus hic appellatus est* 35.  
*οἰκειότης; additque idem, Mosen existimasse, non ex genere tan-* d) *l. c. p. 162.*  
*tum, ἀλλὰ καὶ τῆς θεουσιόσεως ἕως εἶναι τὴν οἰκειότητά, verum etiam* e) *2. contr.*  
*voluntate, similis sc. vitæ generis voluntaria electione, dari vitæ* *Ap.*  
*consortium, & cognationem quandam.*

§. 15. Juxta statum legalem itaque Theocraticæ Ebræorum  
 Reipublicæ jus omnium civium, parentium scil. quo in illo  
 subditorum ordine, qui cives sunt & dicuntur, collocabantur,  
 erat, si formula solenni utendum, *Jus ingrediendi in congrega-*  
*tionem Domini.* f) Nil vero obstare existimamus, quo minus f) *Deut. 23.*  
 plurium Doctorem sententias, quale jus istud ingressus 1. *sq.*  
 fuerit disquirentium, jungamus, atque jus hoc com-  
 plexum fuisse dicamus non jus connubii tantum cum foemina  
 C Ebræa,



g) Selden.  
de J. N. G.  
l. 5. c. 14.  
p. 648. Grot.  
Not. ad  
Deut. 23. 1.  
§ 9.

Ebræa, g) nec ingressus tantum atrii, ad quod jus sacrificii & holocaustum offerendi, pascha celebrandi referimus, nec jus tantum publicorum in Republica & Ecclesia officiorum, sed hæc omnia simul; dividi licet potuerint in collatione eorundem facienda, atque actu etiam divisa fuerint, cum Profelytis justitiæ ad magistratus gerendos, Principatum item in Republica administrandum, & Præfecturas capeffendas, officia item Ecclesiastica, quæ Levitarum propria fuerunt, aditus non pateret: Ita ut jus ingrediendi in congregationem Domini, vel plene, vel quoad certa jura tantum civibus concessum fuisse dici queat, quibus etiam istorum jurium alias competentium usus ex certis causis interdici potuit, ita ut licet alias ad publica in cœtu Israëlitarum officia quis jus haberet, ad magistratum tamen, vel aliud munus publicum gerendum non admittendus esset, si emascularus foret. h) Ammonitas vero atque Moabitas cum penitus Moses exclusisset ab ingressu in congregationem Domini, recte dici potest, legem hanc Reipubl. Ebræorum præcepisse, ne ex his gentibus qui sunt orti, inter cives unquam reciperentur, licet si profelyti justitiæ fieri vellent, arceri non debuerint, etsi jura profelytorum justitiæ perfectorum non obtinuerint.

h) Deut. l. c.

i) de Venet.  
Rep. l. 1. p. m.  
25. § 9.

§. 16. Quemadmodum itaque lege Reipublicæ jura solis civibus competentia, ex quorum possessione iidem quod tales sint agnoscuntur, describi solent; ita nonnunquam inter cives discrimen facit eadem, vel intuitu modi civitatem consequendi, cum civibus originariis præ illis qui civitate donantur singularia tribuit jura; vel intuitu religionis, vel ob aliam rationem, Laudat Contaren. i) majores suos, quod civium diffinitionem generis nobilitate potius, quam facultatum censu fecerint; quos Aristotelicam civis definitionem male secutus, solos cives veros agnoscit, quod hi soli jus suffragii ferendi adipiscantur. Nam de eo non quæro, an lege Reipubl. Venet. tales tantum cives esse debeant. Unde Cotovicus, k) magnum consilium, inquit, ex universo civium constat conventu: ab eoq; universa pendet respublica Veneta. Collectum autem est ex solis Patrij ordinis civibus &c. Dissentit vero à Contareno Donatus Fan-

k) Synops.  
Reip. Venet.  
c. 7.

notius,



notius, l) qui omnes eos qui Venetiis degunt, tres in classes distributos esse tradit, popularium, civium & Patriciorum, non statuens cum compluribus, qui nil tribuunt illis, qui non sunt Patricij. Cives autem illos appellat, qui geniti & educati in hac urbe, non ipsi tantum, verum etiam & parentes & majores eorum, magisq; liberalibus artibus addicti, aliquid splendoris merito consecuti sunt veluti gradu quodam honoris conscenso; quo fit, ut communis hac patria debeat eos amplecti, tanquam à seipsa genitos, atq; procreatos. Descriptio hæc à circumstantiis potius, quæ per se civem non constituunt, quam à genuinis veri civis notis desumpta est quidem; probat rem tamen Nicolaus Crassus, m) civium numero tales habendos esse contendens, non quidem optimo jure, quo duntaxat ij qui nobiles sive Patricij vocantur; sed medio quodam jure & satis honesto. Duo hinc facit civium genera. Alterum quod ab origine dicitur, atq; in illos convenit, qui non modo patrem avum, & proavum civem habuerunt, sed præterea sordidas artes nunquam exercuisse tam se, quam omnes illos probare possunt. Alterum genus est eorum civium, quorum majores non constat extitisse cives; ipsi tamen in urbe vel nati sunt, vel educati, vel, quod postremo lege definitum esse notat, decennium saltem Venetiis commorati domicilium ac sedem ibi fixerunt. Addit: Fruuntur illi sane privilegiis Venetorum civium in portoriis & vectigalibus potissimum, quæ dimidio minora persolvunt, quam advena atq; exteri. Qui ut à sordidis artibus abstineant, necesse esse negat, cum illis non pateat aditus ad ampla illa munera, quæ civibus ab origine permittuntur. Hæc de civibus Venetorum ad Dominicum Molinum, Senatorem Venetum, Crassus, qui istum sibi ad talia scribenda multa adjumenta subministrasse confitetur. Litem ipsam de diversis civium Venetorum ordinibus nostram non facimus. Id certum est, civium in statu legali diversa genera in una eademque Rep. lege nonnunquam definiri, ceu de republica Atheniensi & Romana, supra explicatum. Pari ratione in republica Ebræorum Theocratica diversa genera civium fuerunt; originarii qui ex semine patriarchali descenderunt, & Profelyti justitiæ, quibus Philo n) de Mo-  
Mosen ait ἰσὺ μὲν αἰσίων μετὰ δέναί τε καὶ χαλεπὰ ὄσα καὶ τοῖς αὐτοῖς ἴσοις, equalia jura dedisse omnibus, & quacunq; indigena habent,

l) Dial. de  
Republ. Ve-  
net. p. 37.

m) Not. in  
Jannot.  
p. 301.

n) de Mo-  
narch. f.



*eadem etiam illis concessisse.* Quod tamen sub Theocratia non nisi secundum quid verum esse existimamus; quicquid sit de posterioribus temporibus.

o) *de Re-  
publ. Ebr.  
l. 1. c. 6.*

p) *Polit.  
Christ. l. 2.  
c. 4. p. m.  
97.*

q) *de J. N.  
& G. l. 2.  
c. 4. p. 162.  
r) Dissert.  
Acad. P. II.  
de Profelyt.  
Jud. s. 32.*

s) *Deut. 17.  
15.*

t) *l. c. s. 34.*

S. 17. *Carolus Sigonius, o)* quando de Cive Israëlitæ agit, *populum Ebræorum bipartitum fuisse ait, unum indigenarum, alterum advenarum;* sed diversa hæc civium genera non satis explicat. Non male videntur loqui, qui civem Ebræum Originarium pro cive pleno habent, talemque cum *Danao p)* hunc fuisse dicunt, *qui ex semine Jacobi legitimo matrimonio natus ac circumcissus, jus ingrediendi in cœtum Domini, ut sacrificiis interesset, & publicorum honorum in Rep. Israëlis adipiscendorum habuit.* Tam plene Profelytum fuisse civem negat doctissimus *Seldenus; q)* affirmat vero *B. Slevogtus, r)* falsum esse contendens, *quando Seldenus negat, profelytos cum Judæis habuisse & magistratus communiorum.* Nos vero loquendo de Profelyto justitiæ sub Theocratia, & declarando qualis civis secundum leges hujus reip. fuerit, dicimus fuisse eum verum quidem civem, verum diversi ordinis ab originariis, & non ita plene quam originarii fuerunt. Contradistinguntur sane hi Profelyti ab ipso DEO legibus hujus suæ reipublicæ civibus originariis, retenta voce גר, quæ peregrinum significat. Quod autem ad magistratus & præfecturas tam civiles, quam castrenses capessendas jus non habuerint *regulariter*, hoc enim contendit *Seldenus*, probatur ex sanctione fundamentali *de Rege in gente hac constituendo: s)* *Statuito, inquit DEUS, super Te regem, quem elegerit Dominus DEUS tuus, è medio fratrum tuorum: Addito præcepto universali: Non enim poteris tibi præficere virum extraneum, qui non sit frater tuus.* Concedimus interea, sicut in aliis insequentibus temporibus à lege DEI declinaverunt Ebræi, ita etiam in hoc sub regibus atque Principibus Ebræorum, Profelytorum aliam fuisse conditionem, sicut etiam ad judicia inferiora capessenda admissi fuerint, uti *B. Slevogtus t)* patere ait *Massech. Sanhedrin c. 4. quilibet potest esse judex in judicio inferiori, & judicare de pecuniis; probans Cocceji explicationem: Quilibet, etiam Mamser & allophylus seu profelytus, dummodo sit matre satus Israëlitide: Quod etiam ex Maimonide*

nide it probatum *Casaubonus*. u) Verum olim, sub Theocra-  
 tia, non erat sic: quicquid contigerit mutato hoc statu, præ-  
 primis cum jugo externo pressi fuerint Ebræi. Similiter etsi  
 jus sacrorum habuerint hi Profelyti justitiæ, etiam quoad ea  
 quæ soli Ebræi habebant, à quibus Profelyti domicili exclud-  
 debantur, v. c. jus edendi agni paschalis, jus sacrificiorum pa-  
 cificorum & expiatoriorum, formulis tamen sacrorum atque  
 precum, quæ solos originarios concernebant, illis *Seldeno* x) x)  
 explicante uti non licebat: ita ut peregrinæ originis no-  
 men, y) nota & memoria semper manserit. Docent sane y) *Deut. 16.*  
 etiam ex Ebræorum antiquitatibus *Goodyvinus*, z) & proli-  
 xius *Slevogtus*, a) quod erga hos peregrinos originarii cives *11. c. 31. 11.*  
 voluntate usque adeo bona non semper fuerint. Quamquam *sq. Jos. 8.*  
 vero hæc ita sint, non tamen probamus, quod *Seldenus* b) pu-  
 tat, Profelytum justitiæ, utcunq; novato patriæ nomine *Judæus* dicere-  
 tur, non tam quidem civem Judaicum simpliciter censendum esse, quam *33. 35.*  
 peregrinum semper cui jura quamplurima inter cives; quod defini-  
 tio civis Aristotelica, qua judiciorum & magistratum communio *z) de rit. ci-*  
 continetur, ad ipsum applicari non possit. Nam ne dicam, *vil. & Ec-*  
 nondum esse probatum, Profelytum jure suffragiorum, quod est *cles. vet.*  
 de definitione civis Aristotelica, plane caruisse, & ab omni-  
 bus comitiis fuisse exclusum, quod nego; supra ostendimus,  
 definitionem civis Aristot. non esse de cive legali, qualis fuit  
 civis Ebræus & Profelytus justus, sed de cive secundum sta-  
 tum naturalem, cujus conditio maxime in statu civitatis sub  
 primo pacto cognoscitur, intelligendam, & proinde ex illa  
 concludi non posse, Profelytos Politicæ Judaicæ non fuisse  
 veros cives, etsi non jure ita pleno, uti originarii, tales fue-  
 rint.

u) *Exercit. contra Ba- ron. I. sect. 3. p. 26.*

x) *l. c.*

y) *Deut. 16.*

11. c. 31. 11.

sq. *Jos. 8.*

33. 35.

z) *de rit. ci-*

*vil. & Ec-*

*cles. vet.*

*Ebr. l. 1. c. 3.*

*p. 19.*

a) *l. c.*

b) *l. c. p. 165.*

§. 18. Certa jura hæc, quorum communione cives de-  
 finiuntur, ceu peculiaris ordo illorum, quo non continentur  
 cæteri, qui in civitate degunt, sunt duplicia, beneficia scil. &  
 onera: Possis appellare jura *activa & passiva*. Beneficiorum  
 nomine intelligimus cuncta jura, commoda, atque privilegia,  
 illorumq; utendorum atque fruendorum facultatem, quæ se-  
 cundum cujusvis civitatis legem, non cunctis qui in aliqua



multitudine comprehenduntur, sed illis tantum competunt, quos pro civibus, & sic pro genuinis suis membris eadem vult haberi, habetque, & quorum etiam causa cives istius civitatis nominantur, uti loquitur de Venetis civibus Donatus Jannotius. c)

c) de Rep. Venet. p. 47. Duplici hæc sunt: Alia enim ad jura civitatis per se pertinent, ut sunt jus suffragiorum, jus dignitatum quæ in aliqua republica conferri solent gerendarum; alia juri civitatis annexa sunt, & illud consequuntur, v. c. facultas negotiandi, jus tributuum, atque collegiorum, quæ opifices constituere solent, de quibus, Galliam quod attinet, multa continentur in *la grande Conference Petri Guenois*. Insigniter hæc jura in civitatibus variant, tam illa primaria, quam hæc secundaria. Alibi ampliora & majora, alibi minora sunt. Jura vero passiva seu onera, à quibus se civis eximere nequit, sunt solutio tributui, census, obligatio ad patriæ defensionem, & similia, quæ civibus ideo quia cives sunt ad ferendum incumbunt, & à quibus qui cives non audiunt ordinarie sunt immunes. Priora jura atque beneficia fundantur in fine civitatis, qui est secundum

d) 1. Pol. 2. Aristotelem d) τὸ εὖ ζῆν, bene vivere: Posteriora autem civibus imponit civitatis conservatio, quæ ipsa cum ad τὸ ζῆν, tum ad

e) 4. hist. 74. 2. τὸ εὖ ζῆν consociationis civilis pertinet. Nam, ut ex Tacito e) in vulgus notum, nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt. Apud eundem Tacitum f)

f) 13. Ann. nat. 6. 50. 2. Neronem dubitantem, an cuncta vectigalia omitti juberet, idq; pulcherrimum donum generi mortalium daret, ab hoc impetu Senatores revocarunt, dissolutionem imperij docendo, si fructus quibus republica sustineretur, deminuerentur. In omnibus ita se res habet civitatibus. Nec videtur illis subscribendum esse, qui civem æstimandum esse existimant ex immunitate & libertate ab istis oneribus, quod impositio onerum importet secum aliquod servile. Nascitur enim hæc obligatio ad talia onera ex fine civitatis per se, ergo etiam civibus qua civibus imponi potest. Confundunt tales itaque civem privilegiatum cum cive ipso, monente

g) Polit. l. 1. Claseno. g) §. 19. Omittimus utriusque generis jura tam civium Atheniensium, quam Romanorum, atque aliorum. Civis in Rep.





Rep. Ebræorum Theocratica eandem fuisse conditionem, facile doceri potest. Beneficia significantur *jure ingrediendi in cœtum Domini*; licet inæqualiter modo aliquo de illo participarint cives originarii atque Profelyti. Et uti singularis fuit libertas gentis hujus sub DEO rege, ita etiam civium, quam Fleury h) ita describit: *Ils (Israëlitæ) estoient parfaitement libres, h) Mœurs principalement avant qu'ils eussent des Rois. Il n'y avoit chez eux des Israël. hommages, ny censives, ny contraintes pour la chasse ou pour la pesche: s. 23. p. 122. ny toutes ces especes de sujettions, qui parmy nous sont si ordinaires &c. s. 9.* Ils jouissoient donc de cette liberte, si chere des Grecs & des Romains: & il ne tint qu'à eux d'en jouir toujours. Insignia etiam fuerunt jura mariti in uxorem, parentum in liberos, heri in servos, Patrisfamilias in domesticos, victoris in hostes victos, exteros in primis; quæ etiam ad alias gentes vicinas, & ab illis ad Græcos, Athenienses in primis, atque Romanos dimandarunt. Postea vero libertati huic per *jus regium*, Monarchia divina in humanam, h. e. regnum mutata, multum decessit. Cæterum nec onera sua defuerunt Ebræis, inter quæ non minimum fuerunt tot leges ceremoniales, quibus tanquam iugo aliquo *in servitutem adigebantur*, Ἀεδελωμένοι, uti Paulus i) loquitur, idque secundum veram & propriam rationem status Theocratici qua talis; cum regimen illud sic à DEO rege per Moysen ordinatum fuerit, *ut esset imago quædam & typus regni Christi spiritualis, temporibus novi testamenti revelandi*, explicante Ven. Dn. D. Sebastiano Schmidio. k) Dubium sane non est, quin in re familiari, atque familiarum administratione, complures pondus & molestiam hujus oneris haud raro senserint. k) Prefat. in Comm. l. Judic.

§. 20. Cæterum cum civis in republica, cujus formæ variant, & secundum statum legibus, quæ itidem variant, constitutum, is esse dici possit, qui particeps est jurium in ea civitate cujus est civis, juxta cujusque civitatis, in qua obligatur singulari pacto, quo istius cœtus civilis membrum audit, descriptionem & legem, qua ista respublica coaluit & constituitur, quaque civibus etiam sua jura præ illis, quos civitas non pro civibus habere vult definiuntur; patet non solum verum esse illud Aristotelis l) supra jam adductum, τὸ πολιτικόν

τὸν



πῶ scil. ἕτερον ἀναγκαῖον εἶναι ἢ καὶ ἐκάστῳ πολιτεῖαν, civem di-  
 versum esse necesse est, qui in singulis rebus publicis existit; verum  
 etiam civium numero adhuc præter istos primarios, & emi-  
 nentiozem parentium in republica ordinem, illos quoque ef-  
 se habendos, qui minoribus quidem gaudent juribus, & ab  
 amplioribus illis, quibus eminentior ilte civium ordo gaudet,  
 excluduntur, certa tamen jura & privilegia habent, quibus  
 cæteris subditis, servis, inquilinis, uti fruique non licet, tan-  
 tum abest ut id peregrinis liceat. Competunt enim illis ista  
 jura non ideo præcise, quia sunt subditi atque parent, sed quia  
 virtute pacti fundamentalis quo respublica primo coaluit,  
 societatis alicujus civilis partes, seu focii sunt, & istius bene-  
 ficio gaudent juribus, à quibus servi, inquilini, vel jure belli  
 acquisiti & subiecti excluduntur. Illustrari dicta possunt  
 per ea quæ supra ex Nicolao Crasso m) secundum disciplinam  
 Aristotelis de civibus Venetis sunt adducta: In Theocratia  
 enim Ebræorum tam ingens civium discrimen vix licebit re-  
 perire, cum præter originarios & Profelytos justitiæ cives  
 ibi non fuerint. Similiter in Germania Status & Ordines  
 Imperii recte quidem dicuntur cives, imperantes scil. & or-  
 dinis superioris, seu, si ita loqui velimus cives secundum magis;  
 cæteros autem, cunctosque qui mediate imperio subjiciuntur,  
 incolas tantum vel subditos esse velle asserere, non concedent  
 Lampadius n) & Paurmeisterus; o) quorum ille cives imperii  
 alios Imperantes, alios Parentes esse, hic alios actu potestatis publi-  
 cae compotes, alios Imperij expertes esse notat. Sane nec in Do-  
 minatu dubitamus subditos, qui vinculo huic formæ reip.  
 proprio cum Principe suo connectuntur, etsi herile ejus impe-  
 rium experiantur, cives dici posse, licet secundum minus, & in-  
 fimi ordinis, prout nimirum forma civitatis admittit, cum  
 inter illos atque servos ingens, si jura spectes,  
 discrimen intercedat.

m) Not. in  
 Jannot. de  
 rep. Venet.  
 p. 300. sqq.

n) de Rep.  
 Rō. Germ.  
 P. III. c. 2.  
 §. 9.  
 o) de Jurisd.  
 Imp. Rom.  
 2. 1.







ULB Halle  
006 609 04X

3




*Num A + A4*

*1017*







# 13068 N<sup>o</sup> 24 303 3

Ακαδημ. Τηχης.

DE

# CIVE,

*ad Aristotel. 3. Polit. 1.*

adspirante Divina gratia,  
*in inclyta Argentoratensium Academia,*

PRÆSIDE

DN. JOHANNNE JOACHIMO  
ZENTGRAVIO, D.

Philos. Pract. P.P. Ordinario,  
Collegii Philos. h. t. Decano,

*respondebit*

JOHANNES PHILIPPUS UNSELT,

Argentoratensis,

Die Mensis Decembr. A.O.R. M DC XCI.

⦿)\*\*(⦿

ARGENTORATI,

Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.

1694. 5. 14

